

iuravit cedere, notorium, quod Ecclesia tamdiu divisa non potest sine eius abstinencia a papalibus actibus ad celerem et convenientem modum sue unionis et per consequens nec ad ipsam celerem unionem pervenire, et volumus eum in hiis per ignoranciam excusare, que noverant omnes anime christiane! Certe latere eum non potuit in vicino, quod ad nos in longinquum pervenit, de presump. Quanto.¹⁾ Habeatur ergo pro sciente, non pro ignorante vel probabiliter dubitante, et hoc quo ad administracionem papatus. Quo ad titulum enim papatus sui, si tamen eum per sequencia facta sua non perdidit, potest usque ad diffinicionem concilii probabiliter excusari. De quo plenius patebit in sequentibus.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. IV. 1904, pg. 697—711.)

§ III.

De Abbate Generali.

I.

De electione Abbatis Generalis.

Dominica post IV Pascha mane decantabatur Missa de „Spiritu Santo“, cui assistebant Patres Capitulares; vespere, autem, hora IV incipiebat Capitulum Generale.²⁾ In hac prima Sessione Abbas Generalis, genuflexus in medio Congregationis, veniam petebat omnium quae durante munere commisisset culparum, deinde levatus a Seniore Capituli, licet a regimine absolutus, eidem praesidebat usque ad novi Abbatis Generalis publicationem. (VII. 1—4.)

Lectis postea, ut moris est, Apostolicis Constitutionibus, et absolute Patribus impertita „ad cautelam et ad effectum electionis activae ac passivae dumtaxat“ (4) illico Rmus Praeses, Definitores et Secretarius ingrediebantur conclave ad incipiendam electionem Abbatis Generalis (VII, 16), in qua vocem activam habebant ceteri Capitulares (ibi), passivam vero omnes Monachi quoque, qui aliquam ex Abbatibus Capitularibus gubernassent (7). Excludebantur tamen sequentes:

a) Abbates, qui durante quadriennio ab officio fuerint suspensi, nisi in Capitulo eos iniuste privatos esse probaretur. b) Abbas

¹⁾ c. 8, X, de praesumptione, 2, 23.

²⁾ Constitutiones antiquae, cap. 12.

Generalis, qui tunc munus suum expleverat, ceterique Generales, nisi post duodecim annos a tempore sui regiminis, c) Omnes Monachi professi Domus ultimi Abbatis Generalis, d) Omnes pariter Monachi professi Domus praecedentis Abbatis Generalis, nisi ille tantum per biennium regimen habuisset Generalatus, e) Omnes Monachi propinqui tertii gradus Abbatis Generalis, f) Secretarius eiusdem, et tandem g) Socius seu Comes, qui cum eo maiorem partem Monasteriorum Congregationis visitaverat. (nn. 8—14.)¹⁾

Electio Abbatis Generalis fiebat coniunctim cum electione Definitorum atque Electorum Abbatiarum.²⁾ Ideo unusquisque Capitularium deponebat tot schedulas, quot erant personae ad dicta munera eligendae, seorsum tamen pro Abbate Generali (19). Si qui essent infirmi, mittebantur duo Capitulares qui eorum suffragia colligebant, schedulas tamen acceptas neque aperire neque inspicere debebant sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae (22). Suffragiis computatis, schedulae pro electione Abbatis Generalis, includebantur in speciali capsula tribus clavibus obseranda ibique manebant, usque dum omnes Electiones, quae in Capitulo fieri solebant, complerentur (23).

Absolutis ergo omnibus Electionibus, Praeses cum novis Definitoribus novoque Capituli Secretario computum suffragiorum electionis Abbatis Generalis faciebat schedulasque inspiciebat (XIII. 1.), si inveniebatur suffragium personae inhabili datum, quia in elencho vocem passivam habentium posita fuerat, aut numerum suffragiorum excedere vel deficere, electio erat invalida; non tamen, si schedulae erant vacuae, aut persona incapax non erat in praedicto elencho (ibi 2).

Ad canonicam electionem Abbatis Generalis requirebatur unum supra dimidium suffragiorum (3). Si autem in primo scrutinio nullus hunc numerum obtinebat, Secretarius distribuebat Capitularibus tot schedulas, quot erant candidati, quod et tertio fiebat, si opus esset (4—6). In quarto scrutinio danda erant suffragia tantum iis, qui aliquod in prioribus obtinuissent. In quinto tandem solummodo vocem passivam habebant duo candidati, qui altiorem suffragiorum numerum attigissent aut in paritate, qui essent antiquiores habitu, et tunc pronuntiandus erat ille, cui maior numerus favebat, aut secus habitu senior (8—9).

Facta electionis authentica scriptura, a Praeside Capituli, Definitoribus atque Secretario signata, hi omnes egrediebantur ad locum, ubi erant ceteri Capitulares, et convocato ibi quoque

¹⁾ In capitulis Gen. 1745—53 statutum fuit, ut in posterum Generalatus succederet alternis vicibus per quattuor Provincias, quae tunc factae sunt. Hoc approbavit Benedictus XIV. Const. »Nuper« 24. Mart. 1749.

²⁾ Cf. Const. Innocentii XI. »Exponi Novis« dat. 30. Jan. 1681.

Conventu illius Monasterii, Primus Definitor electionem Abbatis Generalis pronuntiabat (10).¹⁾ Si electus aderat, positus in medio Congregationis et genuflexus, reliquis stantibus, insufficientiam suam ad tantum munus significare solebat, et insimul gratum animum in Congregationem manifestans ejus orationibus se commendabat (XIV. 1.). Deinde ante Praesidem Capituli iurabat se in Generalatu non perpetuaturum, etiamsi a Romano Pontifice motu proprio ei concederetur, neque officium delaturum ultra quadriennium itemque servaturum, in quantum posset, Constitutiones Congregationis et tandem se defensurum et docturum Immaculatam Conceptionem B. Mariae V.²⁾ denique Professionem Fidei, a Pio IV. praeceptam, emittebat (4, 5) qua absoluta, Capitulares cum conventu Monasterii Hymnum „Te Deum“ cantantes, novum Abbatem Generalem ad Ecclesiam deducebant, ibique debitam obedientiam eidem praestabant. (6—7.)³⁾

At si Abbas Generalis electus, ex gremio Capitularium aut in Monasterio non erat, mittebantur ad illum quaerendum unus ex Definitoribus et alius ex Abbatibus, ut quam citius ad locum Capituli accederet, eique venienti obiam ibant tres alii Capitulares. Ceteri cum Conventu Monasterii ad fores Ecclesiae expectabant fiebantque deinde reliqua omnia supra memorata (8—11).

¹⁾ Haec erat formula ad Abbatem Generalem pronuntiandum: Yo Fray N. Definidor y Juez, en nombre de mis colegas y mio, pronuncio y nombro por General de nuestra Santa Congregacion, legitima y canonicamente electo, segun la forma de elegir establecida por nuestras Constituciones, por todo el quadrienio in mediatemente venidero hasta la celebracion regular del Capitulo General proxime futuro, al Reverendissimo Padre el Maestro Fray N., (poniéndole el título y oficio que tenia) en fé delo cual hago la presente pronunciacion por esta escritura, firmada del Reverendísimo Presidente y de todos los Definidores deste Capitulo General presente, y refrendada del Secretario dél. En tantos del mes de N. deste año de N. (Cap. XIII., n. 11.)

²⁾ Hisce verbis: »Nos el Maestro Fray N. General de la Congregacion de San Benito de España, é Inglaterra etc. Delante de Dios, uno en esecia y Trino en Personas, y de la Bienaventurada Madre de Dios, la Virgen Santa Maria, y de nuestro Gloriosísimo Padre San Benito, y de todos los Angeles y Santos de la Corte Celestial, y de todos los que á este acto asisten, á quienes pongo por testigos, voto, prometo y juro, debajo dela correccion de la Santa Madre Iglesia, y de nuestro muy Santo Padre N., y proteccion de nuestro Católico Rey y Señor natural N. de defender, enseñar y predicar que Maria Santísima, Madre de Dios-Hombre, y siempre Virgen, fué concebida sin mancha, ni sombra de pecado original, en el primer instante de su ser natural, siendo prevenida su dichosa alma de la culpa original por los méritos de la Pasion y Muerte de Cristo nuestro Redentor, su Hijo, previstos ya en los decretos eternos, por los cuales fué verdaderamente redimida con mas noble redempecion que todos los otros hijos de Adan. I que en esta verdad, por honra y gloria desta Santísima Reyna de los Angeles y hombres, Hija de Adan, sin culpa, y Madre de Dios por gracia, con la ayuda de Dios Omnipotente viviré y moriré: Asi Dios me ayude, y estos Santos Evangelios. Amen.« (Cap. XIV. n. 3.)

³⁾ Vide »Ceremonial monástico«. Part. II. Sect. V, cap. I.

II.

De electione pro vacatione Generalatus.

Facta electione Abbatis Generalis, eique obedientia praestita possessioneque collata, fiebat eodem modo alia electio ad eventum vacationis dicti officii, sive per mortem Generalis, sive per promotionem ad aliam dignitatem incompatibilem (XV. 1.),¹⁾ hocque provisum erat ad vitanda incommoda magnaue dispendia, quae Congregationi provenire possent ex celebratione Capituli extraordinarii et frequentibus Capitularium Congressibus (ibi).²⁾

Huic electioni praesidebat novus Abbas Generalis aut si aberat eius Praedecessor (3), et in ea carebant voce passiva tam Monachi professi Domus novi Generalis quam Praedecessoris, nisi is per biennium tantum Congregationem rexisset (4). Semel dabatur suffragium pro tribus candidatis, et schedulae deponebantur in capsula tribus sinibus distinctis et numeratis (5). Computatis, sed non inspectis schedulis, capsula claudebatur tribus clavibus diversis, quarum una tradebatur Secretario Abbatis Generalis, altera Abbati Sahaguntino, tertia vero Abbati Carrionensi, et capsula mittebatur ad Monasterium Vallisoletanum,³⁾ si extra illud celebraretur Capitulum Generale (6), ut saepe contingerat. Vacante igitur Generalatu quacumque ex causa, nominabatur eius Successor absque capitulari congressu; dummodo hoc intra tres menses ante celebrationem Capituli non contingeret; tunc enim senior praecedentium Generalium, aut, horum defectu, Primus Definitorum regebat Congregationem Praesidis titulo (XVI. 3.)

Si Abbas Generalis ad aliam incompatibilem dignitatem promotus fuerit et acceptaverit, illud post tres dies tenebatur nuntiare Primo Definitori sub poena excommunicationis ipsoque facto ejus officium vacabat (2).⁴⁾ At si obire contigerit, tunc eius Secretarius sub eadem poena et privationis ab officio, statim hoc nuntiare debebat primo Definitori, qui Praeses Congregationis censebatur usque ad novi Generalis publicationem (3).

Ad scrutandam electionem conveniebant in Monasterio Vallisoletano praedictus Definitor, tresque alii viciniore, Abbatesque Vallisoletanus et vicinior huic Coenobio atque Secretarius Congregationis. Requisitis clavibus capsulae suffragiorum, aperiebatur in praesentia omnium et inspiciebantur schedulae primi sinus, et

¹⁾ Constitut. antiq. cap. 13.

²⁾ Paulus V. »Ex iniuncto« — —

³⁾ In Constitutionibus antiq. (loc. cit. n. 7.) et in Bulla Pauli V. (cit) statuitur ut altera clavis sit penes Definitorum primum, et alia penes Abbatem viciniorem, et capsula in Monasterio in quo degeret praedictus Definitor.

⁴⁾ Capitula 1828—32, concesserunt octo dies pro hac denuntiatione tam Abbati Generali, quam aliis Superioribus. (Ms. n. 9.)

computatione facta salutabatur Abbas Generalis, qui maiorem suffragiorum numerum obtinuerit, aut in aequalitate senior habitu, quod et secundo et tertio servabatur, si toties Generalatus vacare contigerit (5—7), servatis tamen servandis. Porro si suffragia personae iam defunctae aut ad aliam dignitatem evectae, data fuissent, tunc neglectis suffragiis primi sinus inspiciebatur secundus aut tertius (9), quod accidere poterat, si electus in secundo loco, esset eiusdem Domus Abbatis Generalis defuncti; prohibitum enim omnino erat sibi invicem succedere duos Monachos eiusdem Monasterii (10). Post publicationem Abbatis Generalis fiebant reliquae ceremoniae iam memoratae in electione ordinaria.

III.

De iurisdictione Abbatis Generalis.

Abbas Generalis Congregationis Vallisoletanae non indigebat confirmatione, et licet non benediceretur, uti poterat Pontificalibus in omnibus Monasteriis et locis Congregationis, iuxta privilegia Cassinensium atque ex speciali concessione Urbani VIII.¹⁾ (XXVIII, 2). Primum locum semper et ubique obtinebat ipsique unice conveniebat extraordinaria Capituli Generalis convocatio, si quando omnino opus esset (3). Non erat prohibitum, itti simul alicuius Abbatiae regimen tenere (XXVII, 24).

Licet potestas et iurisdictio eius in universam Congregationem extenderetur, erat tamen Constitutionibus non parum coarctata (XXVIII, 1.).²⁾ Etenim antiqua Monasteria recipere in Congregationem aut nova condere nequibat absque Definitorum consilio et approbatione (11.), neque Abbates deponere, sed tantum eos in suspensione incurrisse declarare (XXXV, 20), neque alios Superiores ab eis dependentes remove, alterosve in eorum locum subrogare (7—8), aut officiales tam regulares quam saeculares (10), sed tantum Superiores cogere ut, ineptis amotis, alios digniores substituerent secundum Constitutiones, alioquin adversus eos procedere poterat (7). Habebat quidem facultatem mutandi Monachos; sed, si Praelati ad Definitorum recurrerent, Abbas Generalis horum sententiis parere debebat (9. Lib. 2, XVII, 2).

Ad Abbatem Generalem spectabat confirmatio Abbatum Domorum Capitularium post Capitulum (XXVI, 8—12) et extra tempus Capituli (XXVII, 20), item electio Abbatum Collegiorum parvarumque Domorum (25);³⁾ nominatio Examinatorum pro Collegiis (Lib. III. VII. 1.), Lectorum et Praedicatorum pro Mo-

¹⁾ Urbanus VIII. »In Sacra B. Petri Sede« 5. Julii 1624. Cf. Privilegia praecipua, pag. 1, et pag. 136 ubi exstant Constit. Julii II. et Alex. VI.

²⁾ Constitut. antiq. cap. XXIV.

³⁾ cf. Urbanus VIII. »In supremo« 18. Julii 1634; Clemens IX. »Nuper pro parte« 15. Dec. 1667; Innocentius XI., »Exponi Nobis« 30. Jan. 1681.

nasteriis (7); et remotio Regentis, aut Lectorum a Collegiis (XXVIII, 13). Pertinebat quoque ad Abbatem Generalem concedere licentiam induendi tam Monachos (Lib. 2. IV. 4), quam Conversos (XXXV, 1) et Moniales (XXXVI, 7) istosque ad professionem admittendi (ibidem); item concedere Monachis, ut possent abesse a Monasterio ultra duos menses aut exire ab Hispania (Lib. 2, XV, 4—6), et ut accederent Matritum aut Vallisoletum et Hispalim (7, 13); item ad gradus Accademicos suscipiendos (Lib. 3, X, 2), aut ad oppositiones pro adipiscendis Cathedris Universitatum faciendas (ibidem), et tandem ad libros imprimendos (XXVIII, 12), aliaque plura de quibus, suis in locis, mentio fiet.

IV.

De visitatione Congregationis.

Visitatio Monasteriorum videbatur praecipuum munus Abbatis Generalis Congregationis Vallisoletanae, siquidem in ea expendebat totum fere tempus sui regiminis (XXVIII, 5, XXIX, 1.).¹⁾ Ordinariam facere tenebatur bis durante quadriennio,²⁾ (ibi) extraordinariam vero, quoties rationabiliter petebatur a Monachis alicuius Monasterii aut ab aliquo ex iis, qui fuissent Abbates aut Definitores, aut haberent locum in Capitulo Generali (4). Ceterum, si postea comperiretur causam non fuisse sufficientem ad talem visitationem faciendam, omnes qui eam petissent, condignis poenis ab Abbate aut Capitulo Generali plectendi erant (6). Expensae pro visitatione ordinaria solvebantur ex redditibus Prioratus de Morayme (sicut etiam pro Capitulo Generali (IV. 1.), extraordinariae vero sumptibus Domus visitatae aut eorum, qui illam iniuste petierint (7).

Abbas Generalis visitationem peragens secum ducebat Socium et Secretarium unumque Monachum aut Conversum pro suo servitio (XXX, 2). Ei obiam exhibat Praelatus Monasterii cum duobus Monachis, Conventus autem expectabat ad fores Ecclesiae, quam ingrediente Abbate Generali, cantabatur Hymnus „Te Deum“ etc., et postea deducebatur ad cellam eidem paratam (4.).³⁾

Die statuta Generalis, comitatus a Socio, Secretario atque Abbate Monasterii duobusque Senioribus, ingrediebatur locum Capituli (XXXI, 1.), ubi congregandi erant omnes Monachi, etiam

¹⁾ Constitutiones ant. capp. 28—31.

²⁾ Propter magnos sumptus visitationum aliaque incommoda, Capitulum an. 1725 decrevit, ut in posterum fieret tantum una visitatio ab Abbate Generali, incipiendo a mense Septembri secundi anni sui regiminis, quod probavit Benedictus XIII., »Exponi Nobis« 19. Aug. 1725. (Bull. Rom. t. XII. pag. 115.)

³⁾ Cerem. ant. Part. II., pag. 517, Cerem. 1773, Part. II., Sect. V., cap. II., pag. 799.

absentes, qui ad hoc specialiter vocabantur.¹⁾ Postquam Secretarius legerat Constitutiones ad hoc pertinentes (3), Abbas Generalis designabat duos Monachos, qui cum dicto Secretario computa Monasterii perpenderent, duosque alios, qui officiorum loca inspicerent viderentque, utrum ibi essent provisiones in libris consignatae an aliquid deficeret (4, 5). Designabatur quoque alius, qui statuto tempore, vocaret Monachos ordine suo, ut ad Abbatem Generalem sisterent (6), quo iure carebant, qui voce activa et passiva privati fuerint (10), et iuniores seu illi, qui nondum septimum professionis annum impleverant, exceptis presbyteris (21). Superior adire poterat ante vel post Monachos (19).

Prohibitum erat denuntiare delicta secreta (12) aut ante ultimam visitationem patrata, nisi essent gravissima et scandalum adhuc subsisteret (13); item suadere aut inducere alium ad denuntiandum (16). Qui, vero denuntiationis factae rationem non redderet, poena talionis puniendus erat (15, XXXV, 3). Omnia ore deponenda erant, non scripto, quod licebat tantum ad memoriam iuvandam (25).

Abbas Generalis, praeterea, cuique monacho interrogabat circa sequentia: a) Num quis transgressus fuerit mandata cum excommunicatione aut in virtute sanctae obedientiae imposita; b) num esset quis proprietarius; c) num latrocinium contigerit; d) num quis castitatis votum violaverit; e) num clausurae votum transgressus fuerit vel ad illud transgrediendum alteri adiutorium impenderit; f) num Horae canonicae in Choro recitarentur; g) num cotidie cantaretur Missa B. Mariae V.; h) num onera Missarum implerentur; i) num ieiunia ecclesiastica et regularia, praesertim in Adventu observarentur; j) num coniuratio in Superiorem aut subditum facta fuerit; k) num quis violentas manus in alium iniecerit aut illum percusserit; l) num falsum testimonium dixerit vel infamaverit; m) num aliquod beneficium simoniae provisum fuerit aut contra Constitutiones; n) num Iudices aut eorum ministri muneribus corrupti fuerint, aut vasallis grave damnum inflexerint; o) num in Monasterio uterentur lineis vestibus aut absque sufficienti causa licentiam eis utendi concederetur; p) num quis uteretur vestibus per Constitutiones prohibitis; q) num custodirentur Decreta priorum Visitationum; r) tandem num sciret quidquam correctione dignum tam in Praelato quam in officialibus ceterisque Religiosis (26). Finita interrogatione tradebatur Monacho ad legendum, quae deposuerit aut declaraverit, a verbo ad verbum a Secretario scripta, eaque manu sua subscribebat (27). Deinde Abbas Generalis visitabat Ecclesiam et cellas Monachorum

¹⁾ Hoc cautum erat, ne Superiores, propter suspiciones, exularent aliquem Monachum ad Prioratus aut Grangias ante Visitationem (XXX, 7).

una cum Socio, Praelato Monasterii et aliquo ex Senioribus (XXXII, 2).

Convocatis postmodum Superiore ac Senioribus, Secretarius Abbatis Generalis rationem reddebat computorum et status oeconomici Monasterii (4), quod si culpa Praelati debitis gravatum fuerit, suspensus declarandus erat ab Abbate Generali, et voce passiva privandus ad duodecim annos, itemque Cellerarius, si esset culpabilis, ad idem tempus tam voce activa quam passiva (5). Postea Socius legebat, quae a monachis denunciata fuerant, et Abbas Generalis ordinabat, quae essent agenda, ferens praecepta et censuras, iuxta praescriptum in Constitutionibus, omniaque eius decreta subscribebantur a Praelato et Senioribus (7—10), et referebantur in duobus libris, quorum unus servabatur in Archivo Monasterii, alter in Archivo Congregationis (12).

Tandem Abbas Generalis convocabat Conventum in Capitulo ibique Socius eius legebat, quae contra Praelatum, officiales aut singulos monachos denunciata fuissent in visitatione; qui omnes simul atque nominati erant, in medio Capituli genuflexi, expectabant sententiam aut poenitentiam ab Abbate Generali eis imponendam (15). Deinde Secretarius legebat ordinationes et decreta pro bono Monasterii facta (16), quae postea legenda erant in Refectorio quarto quoque mense (17) ad cuius executionem designabantur duo Monachi, qui, si opus fuerit, Praelatum de hoc monerent (18). Denique quam maxime curabatur ad pacem servandam, ne quis circa delationes ab aliis factas investigare aut molestare auderet (17). Quibus absolutis, precibusque pro agentibus iter recitatis,¹⁾ Abbas Generalis omnibus valedicens discedebat.

Si Abbas Generalis impeditus erat ad visitationem alicuius Monasterii faciendam nec Visitatores Generales mittere volebat, illam peragere poterat per speciales Commissarios, quorum unus esset Abbas, alter Capitularis aut Regens Salmanticensis, aut Laureatus (XXXIII, 1.). Hi habebant aequalem potestatem (2) sed Superiorem a regimine suspensum declarare, pertinebat ad Abbatem Generalem, ad quem causa erat deferenda (3). In Capitulo et Consilio praesidebat Abbas Monasterii, nullusque Monachus absque eius licentia Visitatores adire poterat, nisi ab eisdem specialiter vocatus (6). Acta Visitationis ab utroque subscripta mittebantur ad Abbatem Generalem (8).

(Continuatio in fasc. seq.)

¹⁾ Ceremon. monast. Part II., Sect. V., cap. II. in fine.